

Abbatissa et conventus nobilium virginum Anglarum Bruxellis in Belgio residentium quamvis Monasterium suum magnis expensis et aedificiis ampliaverint, tamen adeo jam monialibus repletum est, ut plurius capax non sit; et quandoquidem multae aliae sint quae admitti in ordinem cupiant, et quam plures illustres catholici filias suas sub earum disciplina educari desiderent, humillime facultatem petunt ut aliam domum sub claustro accipiant ubi Novitias suas, et alias Virgines juxta parentum voluntatem educare et instruere possint cum Religiosis nonnullis veteranis per Abbatissam constituendis quae ab ejus nutu et imperio dependeant; nova enim Monasteria in exilio constitutae erigere justas ob causas expedire non censent, nec fortassis sub alieno Principe a quo jam unum concessum habent id tam facile obtinebunt.

Egi de hoc negotio cum Ill^{mo} Lancelotto, qui praeest congregationi concilii Tridentini. Ille mihi dixit, nunquam impetrandum a Pontifice, ut moniales aliquae maneant extra Monasterium suum, ut habeant curam virginum secularium: sed hoc fieri posse ut sedes virginum secularium sint conjunctae cum monasterio, sic ut una, et eadem sit porta monasterii, et aedium virginum: et possent moniales adire virgines quas instruendas suscipiunt, et non egredi ex monasterio suo. Commendo R.V. inclusas litteras ad P. Josephum Ouswellium. R. Card^{lis} Bellarminus.

(adresse): Admodum R^{do} Patri, P. Odoardo Cophino, Societ. Jesu, in collegio Anglorum

25 Con l'Ill^{mo} et R^{mo} Sig^{or} card^{le} Lancelotto.

Gand. Séminaire. Mss. (lett. 23) Autogr. à partir de Egi de hoc...
adresse comprise.